

mus imprimi characterem, & non est reiterabilis.  
 4. Baptismus Flaminiis justificat Catechumenum ex opere operantis; Flaminiis vero ex opere operato.  
 5. Baptismus Flaminiis dimittit omnem culpam, sed ordinariè loquendo, non relaxat omnem poenam; prout semper facit Baptismus Flaminiis: ea ratione, quia, ut plurimum contritio in adulto Catechumeno non attingit illius perfectionis gradum, quo contritus mereatur totius poenae temporalis satisfactionem; quae fit per modum condignae satisfactionis, ut bene explicat Bilius in Hierurg. Sacra Verb. Baptismus num. 20. §. 1. Et 2. Caramel in Theol. Fundam. num. 3006. & Matrins in d. 4. sent. disp. 2. num. 178. Tandem sexta, & ultima differentia est, quod in Baptismo Flaminiis est necessaria contritio; ac in illo Flaminiis sufficit attritio; & ratio est, quia ad consequendam gratiam sine Sacramento requiritur contritio, ut omnes fateantur, & est decium de Sacramento Penitentiae in Concil. Trid. sess. 14. cap. 4. ac cum Sacramento susceptione sufficit attritio: siquidem hoc casu gratia confectio adscribitur ipsi Sacramento realiter suscepto; ac ubi habetur solum votum Sacramenti suscipiendi, gratia confectio non adscribitur ipsi Sacramento, cum res ipsa non suscipitur; sed perfecta dispositio ad gratiam, qualis non est sola attritio cum voto Sacramenti. Matrins in d. 4. sent. disp. 2. num. 177. A quo tamen dissentit Eminentiss. Card. de Lauræa de Bapt. d. disp. 12. n. 47. ubi probat, in Baptismo Flaminiis sufficere attritionem ad recipiendam gratiam; quia talis Baptismus non requirit nisi ea, quae in Baptismo Flaminiis requiruntur. At in illo sufficit attritio. Valquez in 3. p. disp. 138. cap. 4. Gobat d. trad. 2. de Baptismo. num. 308. Si quidem nulla lex reperitur, quae obliget hominem non habentem modum suscipiendi realiter lavacrum spiritualis regenerationis, ad eliciendum a eum contritionis; & certum est apud omnes quod suppletio Baptismi in re sufficienter habetur, si votum eius habetur: ergo eadem prorsus dispositiones in hoc, & in illo requiruntur; cumque ad Baptismum in re sufficiat contritio, vel attritio, idem censeretur debet in voto Baptismi.

Hanc eximii, & veratissimi Theologi, ac Eminentissimi tum scientia, tum Purpura Sacra Doctoris opinionem, tamquam magis piam, & in odium Catechumenis favorabilem non solum amplectendam, sed confirmandam credendum ratione illa, quam considerat Catechismus Rom. de Sacramento Penitentiae. 66. Et Concil. Trid. sess. 14. cap. 8. Videlicet, Deum indulgentias agere cum his, qui nondum cognito suo nomine, neque fide intellecta peccaverunt, quam cum illis, qui recepto spiritualis regenerationis lavacro, Spiritum Sanctum, quem acceperunt, contristare, & Deum, cujus filiationem sunt consecuti, offendere non erubescunt. Propterea, sicut in relaxatione poenarum in peccantibus post Baptismum, se minus liberare Deus ostendit, ita in voto Sacramenti Penitentiae contritionem perfectam requirit, ut culpam dimittat, & de novo suam gratiam impertiat. Et contra, sicut in Baptismo re suscepto, cum sola attritione, Deus condonat omnem poenam, & remittit omnem culpam, propter praedictam excusabilem ignorantiam fidei, & legis Dei; ita si Baptismus non possit ob iusta impedimenta realiter suscipi, & homo cogatur in solo voto, & desiderio Baptismum habere, in hoc casu ineffabilis Dei benignitas, & misericordia ad concedendam ipsi homini Catechumeno justificationem, & gratiam, contenta sit attritione cum ipso voto suscipiendi Baptismi; juxta Doctrinam Eminentiss. Card. de Lauræa d. disp. 13. art. 5. num. 47.

DECISIO XXVII. ARGUMENTUM.

Exponitur Baptismus Sanguinis, consistens in Martyrio. Quid, & Quotuplex sit Martyrium declaratur, & quot ejus gradus? Conditiones septem necessitatis ad verum Martyrium. Ejus sex effectus cum exemplis, ac variis eruditionibus factis.

SUMMARIUM.

- 1 Sanguinis Baptismus, quid sit?
- 2 Martyrium quid sit? Et unde dicatur?
- 3 Martyris cur olim nominarentur Confessores?
- 4 Martyrium duplex. Cruentum, & Incrumentum.
- 5 Amor in Deum Triplex: Complacentie, Benevolentie, & Appreciationis.
- 6 Martyrium sibi procurare an, & quando liceat?
- 7 Incrumentum Martyrii quadam sit?
- 8 Martyrii gradus quatuor.
- 9 Martyris perfecti conditiones septem. Et quae?
- 10 Fides dupliciter exercetur, nempe in credendis, & in agendis.
- 11 Martyres qui fuerint ob fidem in agendis?
- 12 Interscote seipsum nulli licet.
- 13 Martyrizandus si sit in peccato, vel consilium si possit, vel contritionis actus elicere debet. Sed an sufficiat Attritio?
- 14 Martyres recalcitrare non debent contra tortores.
- 15 Perseverantia necessaria est Martyri in tormentis.
- 16 Gladius cur semper occideret Martyres?

Tertia species Baptismi illa est, quam Theologi vocant Sanguinis, idest Martyrii; idem hic agendum venit de Martyrio, qui est Baptismus Sanguinis, & de eo sex sunt videnda.

1. Quali sit Baptismus Sanguinis?
2. Quid sit Martyrium?
3. Quotuplex?
4. Quot gradus Martyrii?
5. Quot conditiones ad verum Martyrium?
6. Qui sint effectus Martyrii?

Quo ad Primum: Baptismus Sanguinis est ablutio animae facta in proprio sanguine, effuso ob confessionem fidei, cum perpessione mortis, a persecutore illata: in odium ipsi fidei, ubi non est modus recipiendi Baptismum aquae; & de hoc Baptismo loquens est Salvator in illis verbis: Marc. 16. Potestis bibere Calicem, quem ego bibiturus sum? Et Baptismo, quo ego Baptizor, Baptizari? Et Luc. 12. Baptismo habeo baptizari, & quomodo caritatem, usque dum persequatur. Hoc autem à Christo Domino perficiendum, & Calix bibendus, erat Passio, seu Martyrium cum sanguinis effusione, & idem sanguinis effusio, & Martyrium susceptum à non Baptizato ob confessionem fidei, quando non habet possibilitatem suscipiendi Baptismum Flaminiis, seu aquae, dicitur Baptismus Sanguinis. Bonac. de Baptismo. disp. 2. q. 1. Gobat d. trad. 2. num. 599. Matrins in Theol. Moral. d. disp. 17. q. 6. Et in 4. sent. d. disp. 2. n. 280. & Eminentiss. Card. de Lauræa de Sacram. Baptismi disp. 12. num. 69.

Quo ad Secundum: Studiosi nostri notarunt: Martyrium esse Confessionem Fidei, cum mortis perpessione à persecutore illata in odium fidei. Nam Martyrium Graeca dictio est, ἀρτήμα, id est, significans Testimonium; & propterea, per, id est, Testis; quod etiam signi-

ficatum habetur apud Hebraeos, apud quos 77 Testis venit à verbo עדין testatus est, testificatus est, & cognationem habet cum voce עדות idest, novus, seivus; & עם 77 simul novus, quia quod scimus testatur, & conditio est attestatio mentis. Langius in Florileg. Verb. Martyrium. Emin. Card. de Lauræa in 3. sent. part. 2. tom. 3. De Fide, & Propagat. ejus disp. 20. n. 1. Et idem in Apoc. 2. 13. dicitur: Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos; ubi Glof. interlin. notat: Martyr scilicet fuit. Et Act. 1. 8. scribitur: Eritis mihi testes in Jerusalem. Et iterum Apoc. 6. 9. Vidi sub Altare Animas interfectorum propter Verbum Dei, & propter testimonium, quod habebant: quandoquidem Martyres tumulabantur sub Altaribus, cum epigrapha Martyrium apud Græcos, & Confessio apud Latinos, & idem Romæ Altaria, in quibus jacent sacrae Reliquiae corporum SS. Petri, & Pauli, vocantur Confessio SS. Petri, & Confessio S. Pauli: prout in Ecclesia SS. Apostolorum legitur Confessio SS. Philippi, & Jacobi: & in primitiva Ecclesia per multos annos Martyres nominabantur Confessores, juxta illud Luc. 12. 8. Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor ego cum coram Patre meo; ut advertit Emin. Card. Baron. in Martyrol. Rom. 6. Julii Verb. Cum ad Confessionem: qui subdit die 2. Januar. quod qui captus pro fide occumbat, dicebatur Confessor. Qui non interpellatus se offerbat Martyrio, appellabatur Professor. Qui vero propter fidem exulabat, & sua bona amittebat, vocabatur Exortor: omnes tamen in numero Martyrum computabantur. Cæterum progressu temporis coeperunt appellari Martyres illi, qui pro fide patiebantur; Confessores vero, qui in heroicis virtutibus sanctè exercitati, naturali morte ex hac vita decebantur. Sic ex Origene, Petro Bleseno. S. Bernardo in serm. de S. Benedicto in fine, & ex Emin. Cardin. Baron. Anno 286. eruditè, ac doctè de more probat Emin. Card. de Lauræa de Martyrio d. disp. 20. n. 16.

Quo ad Tertium: Duplex est Martyrium, Cruentum, & Incrumentum. Illud est Cruentum, quod consummatum cum sanguinis effusione, & vitæ dispendio, vi persecutionis, motu in odium fidei, & quamvis Gnostici, Valentinus, & Montanus, deinde hæretici Adamanti, ac alii nebulones ejusdem farinae detestati sint Martyrium, & docuerint, Martyres esse reos suicidii, ut ex Cardin. Baron. Anno 145. & ex Salelle tom. 2. reg. 226. Et 302. deducit Emin. Card. de Lauræa d. disp. 20. n. 200. Et sequi nihilominus dicendum est, Martyrium esse actum quadruplicis virtutis, scilicet Fortitudinis, ut elicientis principaliter; Patientie, ut elicientis consequenter, Fidei, ut finis, & Charitatis, ut imperantis. S. Thomas 2. 2. q. 124. art. 1. Et 2. Charitas enim, seu amor in Deum est triplex, Complacentia, qua Christianus gaudet ob divinam superexcellentiā. Benevolentia, qua exoptat, (liceat mihi loqui cum libello nostro Doctrinae Christianæ) esse sua cognoscere da tutto il mondo, & così il Santo Nome suo sia da tutti onorato, & glorificato, come si conviene. Et Appreciationis, qua homo fidelis appreciat, & æstimat Deum supra omnia, ac etiam supra vitam suam, quam promptè tradit pro ejus fide, & gloria; & hæc est suprema dilectio, juxta illud: Majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Joan. 15. Ita Emin. Card. de Lauræa d. disp. 20. num. 227. Et sequi ubi auctoritates plurimas Sanctorum Patrum allegat.

Verum tamen est, quod quamvis optare Martyrium pro Christi gloria, & querere media, quæ possunt ad illud conducere, sit perfectissimum opus supererogationis, veluti procurare missiones ad infideles, ut fecit S. Franciscus Assisius. profectus in Africam, & S. Xaverius in Asiam, & moliti sunt De Sacramento in genere.

S. Antonius de Padua, S. Teresa, & alii Sancti; quorum plures, ex speciali motivo Spiritus Sancti, etiam se obtulerunt tyrannicis, ex desiderio patiendi martyrium, eorum sevitiam, & crudelitatem exprobrantes, & provocantes; à quibus postea necati sunt, ut legitur in Martyrologio Romano de S. Maximo Levita, de S. Caprafio, de S. Athemio 20. Octobr. De S. Cordula Socia S. Ursulae, die 22. Octobr. & de S. Gordio die 3. Januar. & ex Emin. Baron. Ann. 304. Regulariter tamen loquendo id non licet, ut cum S. Thom. 2. 2. q. 124. art. 1. ad 6. & aliis SS. Patribus probat Gobat d. trad. 2. num. 622. Emin. Card. de Lugo trad. de Just. Jur. disp. 10. num. 44. & Emin. Card. de Lauræa d. disp. 20. num. 180. Et n. 188. quibus in locis docet, non dari præceptum de Martyrio, nisi conditionatum, & in præparatione animi, si scilicet calus consistendæ fidei ad illud adigeret. Imò licitum est fidelibus tempore persecutionis, se occultare, & fugere ad evadendam mortem, carcerem, & captivam, ut habetur Matr. 10. Cum vos oderint in Civitate ista, fugite in aliam; Et fecit Apollolus Paulus, qui ait, Cum Damasci prepositus gentis Aretæ regis voluerit eum comprehendere, à fratribus per murum demissus est in sporta, & sic evasit manus ejus in nomine Domini; & ex pluribus SS. Patrum auctoritatibus, & exemplo fidelium, qui Romæ in 42. Coemeteriis latitabant tempore persecutionum, firmat Emin. Card. de Lauræa d. disp. 20. à num. 251. Et sequi. Nisi essent persona publicæ, curam animarum habentes, ex quarum fuga plebs dereliqueret fidem, vel nisi etiam ex exemplo privatorum hominum fugientium alii scandalum funderent, & fidem essent negaturi; quo respectu fortissimos pugiles Christianos in Japonibus nec pedem movisse, instante periculo mortis etiam acerbissimæ, memorat Gobat d. tr. 2. n. 627. & confirmat Emin. Card. de Lauræa d. disp. 20. n. 260. Et 263.

Incrumentum Martyrium est illud, quod fideles patiuntur, supportantes incommoda, vexationes, & tribulationes, vel à Dæmone, vel à mundo ob amorem alicujus heroicæ Virtutis, ut ex antiquis SS. Patribus eruditissimè probat Emin. Card. de Lauræa d. disp. 20. art. 3. per totum; & præcipuè ex S. Hieronymo, qui in Epist. ad Demetriadem, de Virginitate servanda, ait: Habet in pudicitia servata Martyrium suum, & de S. Paula in Epistola ad Virginem Eustochium ejus matre: Mater tua longo martyrio coronata est. Non solum enim effusio sanguinis in confessione reputatur, sed devotio quoque mentis servitio immaculata, continuum Martyrium est. Et ex S. Ambrosio in Psal. 118. Vers. Multi persequentes me. Ubi, cum multa tentationum genera, quæ persequuntur homines, narrasset, deinde subdit: Verum ut multa persecutiones, ita multa martyria: Tentatus es spiritu fornicationis, sed tementandam mentis, & corporis castimoniam non putasti, Martyr es Christi: Tentatus es spiritu Superbie, sed humilitatem magis, quam arrogantiam dilexisti, Testis es Christi. Et ita de aliis; & postea, inquit: Quanti ergo quotidie in oculis Martyres Christi sunt, & Jesum Dominum constituent. Ex quibus, & aliis SS. Patrum auctoritatibus tum RR. Patrum, tum RR. Confessorum Monialium, amplissimas rationes desumere possunt ad confortandas animas, eorum gubernio commissas, ut Christianæ, & Religiosæ vitæ incommoda libenter patiantur, neque eas pigeat imitari sanctos Martyres, qui sanguinem pro fide fuderunt in martyrio cruento, cum & ipsa Martyres sint ob virtutem castitatis, & patientiæ, quamvis in cruento Martyrio. Dolent enim sæpe sæpius in Villis bubulci ob nimiam paupertatem, & in Monasteriis Moniales propter clausuræ mortificationem, infirmitatum à Virginali vita inseparabilem frequentiam, & alia tædia plurima, ita ut videantur desperare;



rare, quas consolari oportet... rate, quas consolari oportet prope excellentis Aureole, in eterna vita eis concedendae, non solum casimoniam servatae, sed Martyrii tolerati, testante S. August. serm. 32. de S. Laur. quod tota vita Christiani hominis, si secundum Evangelium vivat, Crux est aque Martyrii; Et S. Greg. Magno Hom. 35. in Eoan. Et sine ferro esse possumus Martyres, si patientiam reverenter in animo custodimus.

Quo ad Quartum: Quatuor sunt gradus Martyrii. Primus est infantium, qui in odium fidei occiduntur, quapropter ab Ecclesia vocantur infantes occisi ab Herode, Flores Martyrum, & prima Christi Victimae; & inter Martyres celebrantur alii infantes, nempe SS. Modestus, & Ammonius in Martyrol. Rom. 12. Febr. Et decem Pueri 15. Julii; & non solum infantes nati, sed etiam existentes in utero Matris, si cum matre occidantur in odium fidei, Martyres censentur. Valquez tom. 2. in 3. part. disp. 153. cap. 7. Matris in Theol. Moral. d. disp. 17. n. 7. & Gobat d. tra. 2. num. 612. Et dicemus infra in Decif. LII. n. 3. Secundus Martyrii gradus est eorum, qui vehementer ad illud aspirant, & ipsum concupiverunt, sed Deus noluit eos sanguinem potuisse effundere, licet voluerit eorum desiderium coronare. cap. Numquid. 26. de Peniten. dist. 1. ubi sic legitur: In Dei servis, apud quos confessio cogitatur, & Martyrium mente concipitur, animus ad bonum deditus, Deo iudice coronatur. Aliud est Martyrium animo desse, aliud animo desuisse Martyrium. Tales fuere in primis DEIPARA, quae Regina Martyrum jure nuncupatur; nam Iphus animam doloris gladius pertransiit, Luc. 2. quando Stabat Mater dolerosam, juxta Crucem lacrymosa, in qua pendebat Filius. Deinde S. Martinus Episcopus, de quo canit Ecclesia: O sanctissima anima, quam estis gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen Martyrii non amisit. Similiter SS. Franciscus Assisien. & Xaverius, S. Antonius de Padua, S. Theresia, & alii plurimi, quorum corda Martyrii desiderio exarserunt. Tertius gradus est illorum Sanctorum, quibus applicata fuerunt tormenta, & illata verumtamen, pro fidei confessione; sed, Deo illos protegente, illasi evaserunt, ut tres Pueri Sidae, Misae, & Abdenago de fornace ignis ardentis; S. Joannes Evangelista de ferventis olei dolio, SS. Pontifices Romani, Marcellus, Joannes, Silverius, Martinus, & Pontianus; pro quibus Ecclesia constituit octavam Responsorium in com. unius Martyr. Domine prevenisti eum &c. & alii multi. Quartus tandem gradus Martyrii est illorum, quos Deus fecit dignos, suum fundere sanguinem in testimonium fidei, vel heroicis alicujus virtutis; de quibus scriptum est: Viri Sancti gloriosum sanguinem fuderunt pro Domino; amaverunt Christum in vita sua; imitati sunt eum in morte sua; & ideo coronas triumphales meruerunt. In com. plur. mart. resp. 2. Quorum numerus in Ecclesia Catholica est innumerabilis.

Quo ad Quintum: Conditiones ad consummationem veri Martyrii sunt septem. Prima, ut Martyr sit homo Christianus, vel Catechumenus cum voto Baptismi; casu quo reciter habere non possit spirituale regenerationis lavacrum; quod si potest, prius debet affumere, ut in Martyrol. Rom. die 25. Decembr. ubi inter plures millium Martyrum sub Diocletiano Nicomediae interfectorum, multi erant Catechumeni, qui solliciti se baptizare fecerunt, antequam comburentur in ipsa Ecclesia, ut observat Emin. Card. de Laurae de Martyrio d. disp. 20. num. 66. E contra abaque quae baptisio Martyr obiit S. Emerentiana collataeque B. Agnetis, ut legitur in Brevario die 23. Januarii. Secunda, ut patiens pro fide sit Catholicus, nam haereticis tormenta, & mors nihil profunt. cap. Firmisim. de Haereticis. Tertia, ut patiat in odium fidei, & in ipso patiente voluntas patiens sit, non pro vanagloria, aut honore

mundano, sed pro Christi nomine, & veritate fidei Christianae, juxta illud Matth. 10. Qui perdidit animam suam propter ME, inveniet eam. Sufficit autem praedicta voluntas non solum actualis, & virtualis, sed etiam habitualis. S. Thom. 2. 2. q. 83. art. 1. ad 2. quia supremus Agonotheta Christus plus non exigit, quam habituales, quae supponit praefuisse virtuales, & actuales, prout sola habitualis voluntas sufficit etiam in collatione Baptismi, Confirmationis, & Ordinis in suscipiente; siquidem se passivo tantum habet. Gobat d. tra. 2. n. 615. & 616. & Emin. Card. de Laurae d. disp. 20. de Martyrio num. 83.

Neque obstat potest huic tertiae conditioni, quod multi coluntur ut Martyres, & tamen non fuerunt occisi in odium fidei, veluti Innocentes ab Herode, ob motum politicum amissionis Regni. Plures Virgines quia noluerunt assentiri Matrimonii Gentilium. Plures Episcopi ob Ecclesiasticae libertatis defensionem, & alii ob alias virtutes;

Quoniam respondetur: FIDEM dupliciter considerari, vel tanquam revelatam ob credenda; & ipsam tanquam revelatam, ob agenda. Sufferre Martyrium in odium fidei utroque modo, facit verum Martyrem, primo enim modo Fides dirigit intellectum in credendo, & dicitur speculativa; secundo autem modo ducit voluntatem in agendo, & dicitur Fides practica; itaque non minus est Testis fidelis revelationi divinae, qui defendit ea, quae sunt credenda, quam qui defendit ea, quae ex Divino Praecepto optanda.

Hinc Martyr fuit Abel, qui occisus est ob Religionem, & Pietatem exercitam erga Deum, offerendo quae habebat optima, sic cum Fide intrante. Martyres fuerunt Isaias, Hieremias, Zacharias, Fratres Machabaei, ob observantiam legis, ad quam a Fide adgebantur. Martyr S. Joannes Baptista, ob reprehensionem inebriosis copulae Herodis cum Herodiade. Martyres S. Thomas Cantuariensis, S. Stanislaus Polonus, S. Engelbertus Colonienfis, S. Bellinus Episcopus Patavinus, ob defensionem Ecclesiasticae libertatis, quam tueri proprio sanguine eos Fides edocuit. S. Laurentius Africanus, qui in pauperes distribuere thesauros Ecclesiae, & Titus Diaconus, de quo in Martyr. 16. Aug. Imo Principes Apollonorum Petrus, & Paulus passi sunt Martyrium Romae sub Nerone, non ob praedicationem credendorum, sed pro praedicatione, & exercitio Virtutum, a Fide Christiana dictatarum, praesertim castitatis, & continentiae, ut notat Metaphrast. 29. Junii, & Emin. Cardin. Baronius Anno 68. & 69. & erudit probat Emin. Card. de Laurae de Martyrio d. disp. 20. art. 7. per totum. Gobat d. tra. 2. num. 608. & in altera sua Theologia Juridico Morali seu Quinario tra. 5. cap. 18. sect. 6. ubi tanquam verus Germanus docet, Martyrem esse appellandum, qui vitam amitteret, ob non evacuatum ab alio sibi propinatum craterem, quo cognoscebat, se inebriandum, & rationem exturbandam. Quo titulo eo magis videntur decorandi, qui vitam prodigunt tempore pestis, inferendo interfectis ex charitate, quamvis non nisi late sumpro vocabulo Martyres sint vocandi; ex sententia Emin. Card. de Laurae de Martyrio cit. disp. 20. n. 45. & seqq.

Quarta conditio est, ut mors inferatur a persecutore, quia nulli licet seipsum interficere: Hinc Salvator ait Petro: Cum autem sederis, extendas manus tuas, & alius te cingat, & ducet, quo tu non vis. Hoc autem dicit significans, qua morte esset clarificaturus Deum. Joan. 21. Et de hoc scribitur Mart. 10. Tradent enim vos in Concilio, & in synagoga suis flagellabunt vos. Quod si quis objiciat exempla Martyrum 300. qui se profererunt in ardentem calcis fornacem, ubi combusti, eorum cineres Massa candida facti sunt. Martyrol. Rom. 24. Augusti, vel S. Pelagiae; ejusque Matris; & quarum Sororum, quae se in profluentem proje-

projecerunt, ut evaderet manus infidelantium, ipsarum pudicitiae; quas S. Ambros. lib. 2. de Virginit., pulcherrimis verbis, ac sententiis laudat. Vel Sanctae Euphrasiae, quae finxit unguentum resistens ferro, & invitavit militem ad experiendum super collo ejusdem Virginit, quae obtruncata fuit, ut narrat Niceph. Callixt. in Hist. lib. 7. cap. 13. Sive Sophroniae Urbis Praefecti uxoris, quae eadem de causa ense se transiit, ut ex Eusebio notat Emin. Card. Baron. Anno 309. num. 10. Sive SS. Apolloniae, & Emerentianae, quae se profererunt in rogum. Brev. Rom. die 23. Jan. & 9. Febr. His, & similibus responderetur vel id factum esse ex peculiari instinctu Divino. S. Thom. 2. 2. q. 64. art. 5. ad 4. Vel per errorem invincibilem a praedictis Sanctis Martyribus creditum, in iidem circumstantiis sibi licitum fuisse. Lessius de Justit. & Jur. lib. 2. cap. 9. n. 23. & Emin. Card. de Lugo eod. tra. disp. 10. n. 16. P. Menochius in Stroverii Cent. 2. cap. 27. & cap. 50. Vel iusti tyrannorum, & mandato persecutorum mortem oppetivisse, quamvis aliquantum, Deo impellente, ipsi; & ipsae Martyres executionem praevenerint. Gobatus d. tra. 2. n. 631. & Emin. Cardin. de Laurae d. disp. 20. n. 96.

Quinta est conditio, ut Martyrio plectendus non habeat culpam mortalem, vel affectum ad illam, & ideò si sit in peccato mortali, confiteri debeat, si copiam Confessoris habeat; sin minus adum contritionis, & amoris Dei eliciat: quod si solummodo sit attritus, quamvis plurimè ex antiquis DD. reclamant, modernorum communis opinio est; quod virtute Martyrii efficiatur contritus, vitam obtineat aeternam, & verus Martyr censetur. Matris in 4. sent. d. disp. 2. art. 2. per totum, ubi principalem rationem esse dicit, quia hoc privilegium CHRISTUS concessit Martyrio, ut ex speciali Dei dispensatione habeat vim conferendi primam gratiam, & ad instar Sacramenti, Martyrem justificandi ex opere operato. Idem Matris in sua Theol. Morali disp. 17. num. 6. Layman. lib. 3. sect. 3. de Fortitudine num. 6. Vers. Contrarius tamen sententiam, ubi DD. citat. Suarez tom. 43. in 3. part. disp. 29. sect. 3. concl. 2. Gobat d. tra. 2. De Baptismo sanguinis num. 617. ubi non esse extendendum, ait, hoc privilegium Martyrio pro pestem, feu poenitentibus vitam in obsequio peste infectorum. Et Emin. Cardin. de Laurae d. tra. de Martyrio disp. 20. num. 146. quo loci, firmat, attritionem sufficere ad obtinendam gratiam & justificationem in occisis pro fide auctoritate Ecclesiae Catholicae, quae in spatio sexdecim saeculorum nunquam distinxit inter Martyres attritos, & contritos, sed indifferenter haberi, & venerari ut Martyres, docuit, interfectos pro fide; quamvis moraliter sit impossibile, quin inter tot Myriades Martyrum, aliqui, & quidem plures non fuerint in statu peccati mortalis, & solum attriti.

Sexta conditio est, quod Martyr in passione non recalcitret, non detredet, neque se defendat adversus Tyrannum, cum de Martyribus sanctis canat Ecclesia: Ceduntur gladii more bidentium; non murmure resonat, non querimonia; sed corde impari-dum mens bene conscia, conservat patientiam. In Hymn. plur. Mart. ad Vesp. Quare milites Catholici intercepti ab haereticis, atque Turcis ex odio Religionis Orthodoxae, sunt extra censum verorum Martyrum, si animam exhalarent; dum se feruntis defendebant. Lessius lib. 3. de Virtutibus cap. 1. num. 36. Gobat d. tra. 2. num. 614. & Emin. Card. de Laurae d. disp. 20. num. 266. ubi excusat partem hominis inferiorem, si reformidet tormenta; nam etiam Salvator, in solamen nostrum, tempore Passionis suae Caput pavore, & redere, quia spiritus promptus erat; caro autem infirma, sed subjunxit, & dixit ad Patrem: Verumtamen non

sicut ego volo, sed sicut tu, fac voluntas tuas. Matth. 26.

Septima, & ultima conditio veri Martyrii est, ut Martyr sit constans in tormentis usque in finem, & habeat voluntatem perseverantem in passione usque ad mortem, cum scriptum sit: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Matth. 24. 13. & Apoc. 2. Esto fidelis usque ad mortem, & dabitur tibi coronam vitae. Propterea intra quadraginta Martyres sub Licinio, qui non perseveravit in frigore suffrendo, sed in tepidum balneum descendit, perdidit coronam, quam Janitor meruit obtinere, ut in Brev. Rom. die 10. Martii.

Quo ad ultimum, effectus Martyrii sunt sequentes. 1. Supplet Baptisum aquae, si hic haberi non possit, & delet peccatum originale. 2. Si deficiat Confessorius, delet omnia peccata actualia in adulto ex opere operato, sola attritione interveniente, ut diximus in quinta conditione. 3. Relaxat omnem penam, ita ut Martyr statim evolet ad Paradisum. 4. Dum Martyr est in conflictu, & agone, habet specialem Dei assistentiam. 5. Martyrum corpora venerantur ab Ecclesia, reponuntur in Altaribus, dies festi, ac templa ipsae consecrantur. 6. Eorum animae in caelo, praeter essentialem gloriam, potiuntur laetitia singulari ob Aureolam Martyrii, quae est praecedentior aureolis Virginitum, atque Doctorum. Raynaud. de Martyrio part. 2. cap. 6. num. 32. & 33. Gobat d. tra. 2. n. 619. Matris in Theol. Moral. disp. 17. num. 6. Layman. d. lib. 3. sect. 3. de Fortitudine num. 6. & Emin. Card. de Laurae de Martyrio d. disp. 20. art. ult. atque in 4. Sent. tom. 4. disp. 22. n. 48.

Tandem corollari loco ad materiam Martyrii Cleonus noster notavit causam, propter quam (ut plurimum) ignis, rotae, bestiae, & aquae parcebant Martyribus, at semper gladius eos interimebat. Eamque fuisse (caeteris relictis, videndis in Gobato d. tra. 2. num. 623.) quia Deus volebat ostendere; Martyres esse vere nobiles, qui solo gladio de Jure plestantur. Philipp. Berlaymont. in Parad. Puer. part. 3. c. 4. & Gobat ubi supra in fine. Est tamen advertendum, aliquando Deum voluisse, ut neque gladius, seu enfis perimere possit aliquem ex suis SS. Martyribus, ad suam omnipotentiam demonstrandam, & crudelitatem paganorum confundendam; ut legitur de S. Caecilia Virgine, & Martyre, de qua Brev. Roman. die 22. Novembr. ait; quod ad eam immixtus est carnifex, qui ter securi usum, cum caput abscindere non potuisset, semivivum reliquit.

DECISIO XXVIII.

ARGUMENTUM.

Ostenditur, quando Diaconus possit solemniter baptizare; nec non Parochus suspensus à Divinis.

SUMMARIUM.

- 1 Diaconus an possit baptizare, si Parochus absit?
- 2 An solemniter, vel private?
- 3 Parochi licentia est necessaria ad baptizandum extra necessitatem.
- 4 Parochus suspensus an possit baptizare? & numer. 7.
- 5 Suspensio à Divinis quae, & quotuplex sit?
- 6 Sacerdotis officium est baptizare.
- 7 Suspensus à Divinis baptizat in casu necessitatis, sed private.
- 8 Impotentia Parochi suspensio à divinis ob debita an eum excusat, si baptizat?
- 9 Beneficium cap. Odoardus de Solut. denegatur in 20. casibus.

Expli.











tione. S. Thom. 3. p. q. 66. art. 6. Scotus in 4. d. 2. qu. 2. sub I. S. Bonaventura ibid. qu. 3. num. 27. & alii, quos allegat Emin. Card. de Lauræa d. disp. 12. num. 52. & 54. tenenda est opinio Eminentiss. Card. Bellarmini, & aliorum Recentiorum, præcipue Vafquezii tom. 2. in 3. p. disp. 143. cap. 2. n. 7. & Suarezii disp. 27. scilicet 3. n. 3. acriter defendentium contrarium, & docentium, non potuisse Apostolos immutare formam Baptismi, quæ est de Jure Divino, & de cuius dispensatione non constat, articulumque Sanctissimæ Trinitatis fuisse credendum explicitè à Baptizandis; ideoque lex. *Ad. Apost.* supracitatas intelligendos esse de Baptismo, in Nomine Christi Jesu facta per Apostolos fidelibus, ad differentiam Baptismi Joannis; vel, quod magis placet, formam Baptismi, tunc per Apostolos adhibitam fuisse: *Ego te baptizo in nomine Patris, & JESU CHRISTI filii, & Spiritus Sancti*: Sic enim exprimebantur tres ipse Personæ SS. Trinitatis, & nomen JESU CHRISTI venerabatur. Sanctus Cyprian. *epist.* 73. quem allegat Maffrius in 4. sent. disp. 2. de Baptismo. num. 55. & in eius *Theol. Moral.* d. disp. 17. num. 28. Layman d. lib. 5. traç. 2. cap. 4. num. 3. *Verf.* Atque hæc quidem explicatio. Et Gobat d. traç. 2. de Baptismo num. 65. & 68. His omnibus DD. adscriptur etiam Cornelius à Lapide in *Ad. Apost.* cap. 2. *Verf.* 38. ubi inquit: *Fortasse Apostolos primis illis temporibus formam Baptismi addidisse Nomen Jesu Christi, dicendo: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii Jesu Christi, & Spiritus Sancti; ut huic novo nomini fidem, amorem, & reverentiam conciliarent*: concludens, quod omnino Apostoli in primis instruebant baptizandos circa tres personas SS. Trinitatis, & dicendo Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Quartum tandem notandum fuit, esse Baptismum nullum, si dicatur in *Nomine Genitoris, Geniti, & Proccedens ab utroque*; quia non exprimitur Divinæ Personæ sub propriis rationibus juxta formam à Christo traditam. Esse autem validum, si quis baptizet feminam, credens esse masculum, & e contra; quia licet Minister speculativè erret, tamen practice non errat, dirigendo actionem suam in illam personam. Panimoll. d. Decis. 4. num. 7. ubi DD. contrarium tamen notat *Zacchias in QQ. Medicolegal.* tom. 1. lib. 7. tit. 1. q. 3. num. 9. citans Petrum Gerardum à Petra Sancta, antiquum Jurisconsultum, qui in *fragul.* 90. ita docuit, subdend hanc rationem: *Quia oportet quod intentio baptizantis fundatur super vero. Cap. Quatuor. cap. solent. De Consecrat. disp. 4. Secus si de hoc non cogitabat, sed simpliciter baptizabat. Ita determinat Hostiensis in Summa de Baptismo §. Que sit ejus forma. *Verf.* Quid ergo si quis putet. Studiosus Lector cogitet, esse enim casus satis curiosus, & qui de facili potest occurrere.*

Ultimò esse bonum Baptismum, secundum opinionem probabiliorum, si quis invertat verba formæ, dicendo: Ego baptizo te, in Nomine Spiritus Sancti, Filii, & Patris; vel Patris, & Spiritus Sancti, & Filii; peccaret tamen mortaliter qui sic facere audeat. Maffrius in *Theol. Moral.* disp. 17. num. 30. & 31. Gobat d. tr. 2. de Baptismo. n. 73. & seqq. Et Layman d. lib. 5. traç. 2. cap. 4. num. 4. ubi alias fortissimas mutationes enucleat, à curiosis, imò studio-

Tandem non est ignoranda germana resolutio etiam sequentis Quæstionis, scilicet Quo in loco baptizandum sit? Circa quod omnes DD. dicunt, Baptismum esse administrandum in Ecclesia habente fontem Baptismalem, nisi agatur de Filii Principum, vel simus non, quæ sic decernit: *Presenti prohibemus edicto, ne quis de cætero, in Aulis, vel Cameris, aut aliis privatis domibus, sed solummodo in Ecclesiis, in quibus*

*sunt ad hoc fontes specialiter deputati, aliquos (nisi Regum, vel Principum, quibus valet in hoc casu de ferri, liberi extiterint; aut talis necessitas emergerit, propter quam nequeat ad Ecclesiam obijce periculo propter hoc accessus haberi) audeat baptizare. Duo igitur casus suscipiuntur, in quibus licet in domo privata baptizare. Unus est, si infans baptizandus sit filius Regis, vel Principis, seu alterius Comitis, Ducis, vel Baronis habitis merum, & mixtum Imperium in subditos; ut absque dubio est Dux Venetiarum; quamvis alii Nobiles Veneri de Consilio Rogatorum, Procuratores Sancti Marci, aut alias principales Reipublicæ Præfecturas, Magistratuum exercentes, pro eorum egregia pietate, & Religione, filios suos ad Ecclesiam Parochialem baptizandos deferant. Appellatione verò liberorum veniunt Nepotes, & Pronepotes, alique ejus descendentes. l. Librorum. ff. de Verb. signifi. Gobat d. traç. 2. de Baptismo. num. 492. & 493. Pax Jordanus tom. 1. lib. 3. tit. 1. n. 15. Alter casus est necessitatis, comprehendens periculum mortis ipsius infantis, gravissime incommodi; e. g. si celum pluvium sit hyberno tempore, viaque difficillimæ ob glaciem, vel nives; ac etiam timor sit alicujus infamiae, puta si mulier nobilis ex illicita, occulta tamen copula, peperisset; ut considerat idem Gobat d. traç. 2. num. 500. 503. & 504. & seqq. addens, quod omniter ceremonias ab Ecclesia ordinatas in Baptismo, si infans vivat, & cesset impedimentum, est peccatum mortale; quia ceremonias, & ritus sacros tempe Ecclesia Catholica magnificè; & hæreticorum est eas, & illos spernere; ut latè probat Layman cit. lib. 5. traç. 2. cap. 8. num. 3.*

DECISIO XXXI.

ARGUMENTUM.

Disquiritur an duo Ministri esse possint in baptizando simul unicum infantem? Proponitur, & resolvuntur duo casus facti curiosi, & facti practici, de duplici Ministro in uno, ac eodem Baptismate.

SUMMARIUM.

- 1. Minister Baptismi unicus esse debet in baptizando.
- 2. Ministri duo in eodem baptismo an esse possint in casu necessitatis?
- 3. Parochi duo eundem infantem eodem tempore an validè baptizent?

EX his, quæ hucusque docuimus circa materiam, & formam Baptismi in abstracto, resolvendi veniunt duo casus concernentes utramque in concreto. Itaque primus Casus est: Dum Capellanus baptizat infantem, Parochus superveniens infundit aquam super caput pueri, & Capellanus formam profert. Quæritur, an validus sit Baptismus?

Non esse validum Baptismum, omnes respondent ex communi Theologorum sententia; quam tenet S. Thom. 3. p. q. 67. art. 6. Scotus in 4. disp. 6. q. 2. sub E. S. Bonavent. ibid. part. 1. q. 1. Maffrius in 4. sent. d. disp. 2. n. 68. ubi dat exemplum, si ille, qui aquam effundit, sit mutus; ille autem, qui formam profert, sit mancus. Idem Maffrius in sua *Theol. Moral.* cit. disp. 17. num. 36. & Eminentiss. Cardin. de Lauræa disp. 15. de Ministro Baptismi. n. 48. Ratio est, quia talis Baptismus est contra institutionem Christi, qui præcepit, ut unus, & idem sit, qui abluat, & formam profert, ad hoc ut verificetur actus ille baptizandi; non potest autem verificari, quando Capellanus dicit, *Ego te baptizo*; & tamen ipse non baptizat; quia aquam non infundit; ex qua aquæ infusione pendet verificatio abluitionis tum corporo-

corporalis, tum spiritualis in anima, quam non causat, qui verba profert. Ita alii DD. apud Dianam par. 5. traç. 6. ref. 2. quæ jacet in Coordinato tom. 1. traç. 1. refol. 65.

Cæterum præter ipsos DD. à Diana citatos Cajetanus, & alii, quibus visum adhærent Stephanus à S. Paulo in *Theol. Moral.* traç. 5. disp. 2. num. 12. Chapeaville de Baptismo. q. 20. & Gobat d. traç. 2. de Baptismo. n. 47. opinantur, talem modum baptizandi posse praticari in casu extremæ necessitatis, & periculi mortis ipsius infantis; puta si mulier, quæ effundit aquam, nesciat formam Baptismi, & alia mulier sciens non possit effundere aquam; vel si infans moribundus sit in domo peste infecta, & oberata; in quam Parochus non possit ingredi; nam poterit per fenestram apertam dicere, *Ego te baptizo*, &c. dum interim ejus mater infundit aquam super infantem. Ratio desumitur, ex cap. *Perf. de Regul. Jur.* in 6. ubi dicitur: *Potes qui per alium, quod potest facere per seipsum. Ergo qui profert formam baptismi jubendo alii, ut infundat aquam, videtur ipse eam infundere, & sic Baptismus valet.* Confirmatur ex l. 1. §. *Deicisse. ff. de Vi, & armata*, ubi Ulpianus ait: *Deicisse autem etiam si videtur, qui mandavit, vel iussit, ut aliquid deiceretur. Per vi enim reserere visum est, suis manibus quis deiciat, an verò per alium.* Igitur idem est fundere aquam in baptismum propriis manibus baptizantis, vel ejus iussu manu alterius. Contrarium tamen est verius, quia Regula prædicta non procedit, quando actus nequit transmitti in alium, ut ab eo efficiatur, ut bene observat V. Vincencius Tacinus de Castrofranco Ord. Reformator. S. Francisci in declaratione ad dictam Regulam. *Qui per alium facit.* 72. *De Regul. Jur.* in 6. ubi dat exemplum de Contritione, & de Jeunio, quam, & quod alius pro alio facere non potest, quia sunt actus personales intrinsecivi in aliam personam, & idem ait de actionibus Sacramentalibus. Quare non videtur isto exemplo acquiescendum in practi; siquidem Parochus in ista hypothesi potest ipse infantem ad fenestram delatum proxi lavacro abluere, vel per asperisionem aquæ illum, etsi distantem, unda salutari attingere; vel Matrem docere formam profendam, ipsam ipsi suggerendo de verbo ad verbum. Admissa tamen opinione Gobati, & antiquiorum in his necessitatibus casibus, si infans evadat periculum, erit iterum sub conditione baptizandus. Coton. lib. 2. contr. 2. c. 3. n. 43. Diana p. 5. traç. 3. ref. 26. quæ legitur in Coordinato tom. 1. traç. 1. refol. 66.

Alter casus est: Duo sunt Curati in eodem Ecclesia equalis potestatis, cumque in ea baptizandus sit infans divites, ambo citra, & stola induti, ad majorem solemnitatem, & simul, & eodem tempore infantem baptizant. Quæritur, an validè?

Clamant DD. omnes infractati dicentes, id esse illicitum cum S. Thom. 3. p. q. 67. art. 3. An verò sit validum Baptisma? Affirmant: vel enim unus Curatus citius altero abluat, & profert formam? & tunc ipse solus baptizat, & facit validum baptismum. Vel uterque (ut in casu) simul, & eodem tempore abluat, & verba complet, & patiet in hoc casu validus est baptismus; ea ratione, quia, verisimile non est, factum unius irritare factum alterius, & est simile de pluribus Sacerdotibus eandem Hostiam, eodem tempore consecrantibus, ut fit in ordinatione Sacerdotum celebrantium simul cum Episcopo. Unus tamen erit baptismus, & non duo, quia hoc Sacramentum magis consistit baptizzazione passiva, quam activa, & sicut qui per asperisionem aquæ simul, & semel plures baptizat, plura facit Sacramenta, quia plures sunt baptizzazione passive; ita si plures simul, & eodem tempore unum baptizent, unum faciunt Sacramentum, & non plura; ita Maffrius in *Theol. Moral.* d. disp. 17. num. 33. &

in 4. sent. disp. 2. num. 59. & seqq. ubi num. 57. explicat quid tenendum, si isti duo Curati dixissent in plurali numero, *Non te baptizamus?* tres enim sunt opiniones ibi vidende, vel apud S. Thomam 3. part. quæst. 67. art. 6. & legendi Coton. d. lib. 2. Contr. 2. cap. 3. num. 44. Gobat d. tr. 2. num. 143. Layman d. lib. 5. traç. 2. cap. 5. & 7. Diana par. 9. traç. 6. ref. 20. quæ requiescit in Coordinato tom. 1. traç. 1. ref. 41. Et cæteris clarior Emin. Cardin. de Lauræa d. disp. 15. de Ministro Baptismi. n. 51. & seqq.

DECISIO XXXII.

ARGUMENTUM.

Comprobatur necessitas Baptismi ad æternam salutem consequendam. Distinctio Necessitatis, ut alia dicatur simpliciter, seu mediè; alia secundum Quid, seu Præcepti. Infantes an sine Baptismo possint salvari? Item an adulti? Errores hæreticorum circa necessitatem Baptismi?

SUMMARIUM.

- 1. Necessitas baptismi an eadem in infantibus, ac in adultis?
- 2. Necessitas duplex, alia simpliciter, alia secundum quid.
- 3. Necessitas alia Mediè, alia Præcepti. Illa mediè vel strictè, vel late.
- 4. Baptismus, & Penitentia qua necessitate sunt necessaria.
- 5. Differentia infantium, ac adultorum quo ad necessitatem baptismi.
- 6. Infantes sine baptismo in re, vel Matrimonio salvandi non possunt.
- 7. Parentum fides an juvet infantes non baptizatos?
- 8. Hæretici negantes necessitatem baptismi.

Sufficenter hucusque videtur exposita essentia Sacramenti Baptismi, acque ejus materia, & forma, quibus consistit. Nunc agendum est de ejus necessitate, & videndum, an eadem sit necessitas baptismi in infantibus, ac in adultis? Pro intelligentia dicendorum præmittendum primò: apud Theologos duplicem pro salute æterna dari Necessitatem, seu duplex reperiri Necessarium. Unum, quod antiqui Scholarum Proceres dicebant Necessarium simpliciter; & illud Necessarium secundum Quid, seu ad melius esse. Illud est necessarium simpliciter, quo prætermittit, etiam si ex ignorantia, vel oblivione prætermittatur, salus æterna obtineri non potest, juxta legem Dei ordinariam. Necessarium secundum Quid, sive ad melius esse, illud dicitur, quod si omitteretur, vel ob ignorantiam, vel ob impotenciam, non excludit hominem ab æterna salute. Recentiores Theologi, & Neoterici hanc Necessarii distinctionem sub aliis terminis, & vocabulis communiter explicant; videlicet, appellando Necessarium primò ordinis Necessarium Mediè; secundum verò ordinis Necessarium Præcepti: quam quidem mutationem non laudat Eminent. Cardin. de Lauræa d. tom. 1. in 4. sent. de Sacram. in gen. disp. 6. art. 2. Illam tamen approbat Maffrius in 4. sent. disp. 1. num. 361. & in *Theol. Moral.* disp. 16. num. 59. & eam passim sequuntur Moralistæ, & novissimè Gobat de Sacram. Baptismi. traç. 2. num. 110. & seqq. qui ulterius sub n. 114. advertit à Conincko, & Dicastillo ibidem citatis, subdividi Necessarium Mediè in Necessarium strictè, seu Absolutum; & in Necessarium late, seu ex suppositione; quod mox explicabitur.

Præmittuntur secundo: Sacramenta Baptismi, & Penitentia esse Necessaria simpliciter, seu necessitate Mediè ad consequendam æternam salutem; Baptismum



primum scilicet omnibus hominibus, tam adultis, quam parvulis: Penitentiam vero solummodo adultis, qui peccaverunt post baptismum. Cetera vero Sacramenta esse necessaria secundum quid, seu ad meliorem esse; hoc est necessitate Præcepti, singulis privatis hominibus; nam toti Ecclesiæ, & universali hominum communitati sunt omnia Sacramenta necessitate Medii, & simpliciter necessaria, bene explicant Maffius in 4. sent. d. disp. 1. n. 368. Et in Theolog. Moral. d. disp. 16. num. 61. nec non Eminent. Cardin. de Lauræa d. disp. 6. de Sacram. in genere art. 2. per totum. Porro Baptismus dicitur necessarius Parvulis necessitate Medii, strictè, & absolute, quia in voto non potest suppleri (excepto casu Martyrii: ) ac in adultis non baptizatis est necessarius necessitate Medii, & simpliciter, sed latè, & ex suppositione; quia si sit impossibile ipsum in se suscipere, sufficit in voto, ut docuimus supra Decif. XXVII. & idem intelligendum de Sacramento Penitentia: quod deficientibus Confessariis potest suppleri in voto cum actu contritionis, & dilectionis Dei. Gobat d. traç. 2. num. 114.

His ita præmissis, respondentes Quæsto dixerunt, Magnam esse differentiam inter necessitatem Baptismi respectu Infantium, & respectu Adultorum: quandoquidem in Adultis Baptismus est necessarius necessitate Medii, & simpliciter; sed latè, & non strictè, eò quia si non sit illis possibile actualiter baptizari, & non sit locus Martyrio, possunt salvari per Baptismus Flaminis, illum in voto, & desiderio suscipientes. Verùm in infantibus Baptismus est necessarius necessitate Medii, & simpliciter, nec non strictè, & absolute sumpta; quia in re debent baptizari, id est aut aqua, aut sanguine per Martyrium; aliàs salvari non possunt; prout docent omnes Theologi, tenuerunt SS. Patres, & est definitum à Sacris Conciliis, quæ, & quos referunt, & allegant Bonacina de Sacram. disp. 2. q. 2. p. 2. n. 8. Layman lib. 5. traç. 2. cap. 6. num. 6. Gobat d. traç. 2. n. 116. Maffius in 4. sent. disp. 2. de Baptismo num. 214. Et in Theol. Moral. disput. 17. n. 41. & abundantius Eminentiss. Cardin. de Lauræa de Baptismi necessitate disp. 13. num. 67.

Ex his patet non absque fundamento à diversis Theologis haberi pro hæretica, aut saltem pro erronea, & temeraria opinionem illorum, qui scripserunt, infantes morientes in utero materno absque Baptismo, posse salvari propter fidem parentum; ut scripsit Cajetanus 3. p. q. 68. art. 2. & 11. & Campanella apud Caramuelum in Theol. fundam. n. 181 5. licet enim hæc opinio præferat quandam speciem pietatis, est aliena à sensu, & dogmatibus Sanctæ Mariæ Ecclesiæ, & idè S. Pius V. iussit, illam Cajetani esse præmittendam in Editione Romana operum Divi Thomæ, ut notat Aretinus in 4. d. 4. q. 3. art. 3. relatus à Mario in Theol. Moral. d. q. 17. num. 41. quod inquit etiam Emin. Card. de Lauræa d. disp. 13. art. 6. à principio ad finem; ubi, ob suam egregiam modestiam, nec nominat Auctores præfære opinionis reprobatæ, nec eos censurat; subdens, sibi sufficere, eisdem opinionis improbabilitatem ostendisse, ut saluti proximorum consulat, & sibi satis esse Theologum agere.

Hic autem notandi veniunt hæretici, qui olim asserere sunt ausi, quòd Baptismus nihil valebat, si daretur pueris ante eorum intelligibilem ætatem. Tales fuerunt Petrus de Brui Ann. 1126. (contra quem scripsit Petrus Cluniacensis lib. 1. epist. 1. & 2.) & Henricus Monachus Apostata ejus discipulus, quem coercuit S. Bernardus Episc. 240. ac Hæretici Albanenses Ann. 1176. de quibus omnibus meminit Spondanus ad dd. annos. At nulli prorsus esse necessarium baptismum, effutire non erubuerunt Sampson Presbyter Scotus Anno 748. & post eum Bengarius Anno 1035; qui pluries in abjuratos errores

relapsus, tandem nonagenarius penitens, ut creditum fuit, obiit, & in obitu dixit: Hodis apparebit mihi Dominus meus JESUS CHRISTUS propter penitentiam, ut spero, ad gloriam; vel propter alios, ut timo, ad pœnam. Ita Spondanus Anno 1088. num. 5. in fine.

DECISIO XXXIII.

ARGUMENTUM.

Recensentur effectus duodecim, quos producit in baptizatis Sacrum lavacrum Baptismi. Inter eosdem numeratur sanitas miraculosa à desperatis corporis infirmitatibus. Circa eisdem varia exempla afferuntur.

SUMMARIUM.

- 1 Effectus Sacramenti Baptismi duodecim. Et qui?
- 2 Debita baptizandi vel ex delicto, vel ex contractu an remittantur ei per Baptismum? Sanitates corporales ex Baptismo.
- 3 Irregularitates omnes tollit Baptismus, non etiam Bigamiam.
- 4 Sacerdos bonus baptizans magis proficit baptizato, quam malus.
- 5 Catechumenus moriens an sepeliatur in loco sacro?
- 6 Baptizandus non evadens, vel non dolens de peccatis an validè baptizetur.
- 7 Gratia, quæ datur baptizatis, an æqualis sit in omnibus?
- 8 Veniendus Martyr baptizatus à Christo Domino.

**N**unc autem videamus: Qui sint effectus Baptismi? Et equidem, effectus Baptismi sunt duodecim. Primus est Character, nempe signum quoddam spirituale indelebile, impressum in anima baptizati; ratione cujus baptismus semel rite susceptus iterari non potest. Cap. Majoris. de Baptismo. Et hoc est de fide definitum in Conc. Florent. in Decret. Eugenii 9. 5. Ecclesiasticorum. Eriam Trident. sess. 7. Can. 9. Et ad hunc effectum consequendum sufficit in Adultis baptizatis virtualis intentio suscipiendi Baptismum. Secundus effectus est Gratia sanctificans, quæ infunditur in anima baptizati; (non ponentis obicem vel fictionis, vel affectus ad mortale) & per quam homo justificatur. Concil. Florent. loc. cit. Et in Trident. sess. can. 11. Hunc autem effectum inseparabiliter sequitur Tertius, nempe infusus Virtutum Theologicarum fidei, spei, & charitatis. Concil. Trid. sess. 6. cap. 7. non etiam Moralium, ut docet Maffius in 3. sentent. disp. 7. q. 2. Et in Theol. Moral. d. disp. 17. sub num. 49. ubi Thomistas dissentire advertit. Quartus est delectio peccati originalis. Quintus est actualis in Adulto, qui mortaliter, seu venialiter peccaverit. Concil. Florent. loc. cit. Sextus omnium, videlicet quamcumque culpam tam originalem, quam actualem. Sextus effectus est remissio omnis pœnæ, quæ in alia vita erat luenda; ita ut homo, qui statim moritur post Baptismum, licet adultus, & magnus peccator, evolet immediate ad Cœlum. cap. Per baptismum. de consecrat. dist. 4. Concil. Trid. sess. 5. can. 5. sess. 6. cap. 14. & iterum sess. 14. cap. 8. Et probat praxis Ecclesiæ Universalis, quæ nullam satisfactionem imponit Adultis baptizatis, etsi antea fuerint magni peccatores. Pœnalitates tamen hujus vitæ, ut morbi, fames, sitis, fomes peccati, & inordinatio potentiarum in præsentem non tolluntur, sed equidem virtute Baptismi tunc auferuntur, quando Mortale hoc inducit immortalitatem.

1. Cor.

1. Cor. 15. 54. videlicet post resurrectionem in die Judicii. Debita vero inita per Adultum baptizatum ante Baptismum, sive ex contractu, sive ex delicto, quæ tangunt justitiam proximi, non delentur. DD. in cap. Gaudemus. de Divort. Quæ vero sunt in injuriam Dei, ex benignitate Ecclesiæ remittuntur. Layman lib. 5. traç. 5. par. 5. cap. 6. num. 9. ubi de Judæo fure, homicida, vel sacrilego ad fidem converso. Porro ex immensa Dei benignitate per Sacramentum Baptismi etiam corporis sanitatem concessum (prout Constantino Imperatori, Præpedignæque Principissæ Patavinæ, tempore S. Prodocimi) & à Dæmonis infestatione liberationem, aliasque gratias elargitas, in duobus, & quadraginta probatis exemplis demonstrat Joan. Bonifacius Bagatta in admirandis Orb. Christ. tom. 1. lib. 3. cap. 1. prout etiam Hieron. à Basilicæ petri in suis Ephemerid. Sacris ubi die 8. Januarii narrat de quodam Judæo divite, sed Paralytico, baptizato, & statim sano effecto à B. Attica Patriarcha Constantinopolitano. Et eodem die scribit, Odilium Virginem cæcam à nativitate filiam Eritonis Ducis Alatiæ, statim ac recepit sacrum lavacrum baptismale à S. Erardo Episcopo, obtinuisse cum lumine fidei etiam lucem corporalem. Item die 13. Januarii, Quiriacam Principissam Valentianam ablutam aqua baptismi à Sancto Potito Martyre adinstar Constantini Imperatoris statim à lepra fuisse mundatam. Similiter ac eadem lepræ infirmitate sanatus fuisse Orloldam filiam Alais Ducis Brixie tinctam salutaris Baptismatis unda à Sancto Honorio, qui deinde fuit electus Episcopus Brixientis, notat idem Hier. à Basilicæ petri die 24. Aprilis, in Vita ejusdem Sancti Honorii, quem docet Parochus, & Prædicatores vidisse, & legisse. Septimus effectus est, conferre quod omnia illa auxilia supernaturalia, quæ sunt proportionata fini, ad quem Baptismus est institutus; videlicet ad servandam divinam legem, ad sacramenta digne suscipienda, aliaque Religionis, & pietatis exequenda officia. Maffius in Theol. Moral. d. disp. 17. numer. 51. ubi docet, omnia sacramenta conferre specialia auxilia ad finem proprium ordinata, ob quem singula sacramenta sunt instituta. Octavus est ablatio omnium irregularitatum ex delictis commissis ante Baptismum, etiam ex Homicidio, excepta tamen Bigamia; & ratio est, quia irregularitates, quæ sunt pœnæ Ecclesiasticæ, non efficiunt illum, qui non reperitur in gremio Ecclesiæ; & cum delicta commissa ante Baptismum jam transferant, neque habeant actum permanentem, pœnæ eorum causa statim non resurgunt post Baptismum. Porro Bigamia habet actum permanentem, & perseverantem etiam post Baptismum; non enim fieri potest, ut qui duas uxores habuit, vel viduam duxit in Matrimonium, non divideret carnem suam, & non sit Bigamus; idè post Baptismum afficitur hac irregularitate. cap. Si quis Vitium. dist. 34. Maffius in Theol. Moral. disp. 13. num. 133. & Layman lib. 1. traç. 5. part. 5. cap. 6. num. 8. & 9. ubi subdit, infamiam facti contractam ante Baptismum deleri in Baptismo, non autem infamiam Juris, quæ ex Judicis sententia resultat. Nonus effectus est habitatio ad recipienda cætera Sacramenta; juxta tritum axioma, quòd Baptismus est janua omnium Sacramentorum. Decimus est obligatio servandi Decalogi Præcepta, nec non illa Ecclesiæ, & servandi fidem. Undecimus quandoque est specialis prerogativa sanctitatis, proveniens in pueris lavacro Baptismi regeneratis, qualis fuit in Sancto Nicolao de Myra, ablinentia inchoatio: cum enim infans reliquos hebdomadæ dies lugeret frequentibus; quarta, & sexta feria semel dumtaxat, idque Vespere soluebat. Quæ jejuniis consuetudinem adultus semper coluit. Brevar. Rom. in lè. die 6. Decembris. Et eandem devotionem, ac jejunii ex-

De Sacramentis in genere.

1. citationem à SS. Rocho, & Stephano Carthusiano Episcopo Diensi, observatam in ætate infantili notat Joan. Bonifacius Bagatta in Admirandis Orbis Christi. tom. 2. lib. 5. cap. 4. §. 8. num. 3. & 4. Porro talis effectus sæpe provenire potest ex merito vel Parentum, vel Sacerdotis baptizantis; est enim utilis baptizari à bono Sacerdote, quam à malo, quia ejus orationes magis profunt baptizato, quod est intelligendum de congruo, non autem de condigno, juxta doctrinam S. Thomæ 2. 2. q. 114. art. 6. & S. Bonavent. in 2. d. 27. art. 2. q. 2. quod observat Maff. in 4. sent. disp. 1. de Sacram. in genere q. 9. Et in Theol. Moral. d. q. 17. num. 53. & Eminent. Cardin. de Lauræa de Baptismo disp. 11. n. 111. Duodecimus tandem effectus proveniens à Baptismo est Jus Ecclesiasticæ sepulturæ; quapropter baptizatus est in loco sacro sepeliendus. Caramuel in Theol. fundam. num. 1400. Diana part. 4. traç. 3. resol. 9. referente in Coord. tom. 8. traç. 8. resol. 7. id intelligendo etiam de Baptismo dubio. Gobat d. traç. 2. num. 640. Et num. 653. ubi idem docet etiam de Catechumeno: & carpit contrarium scribentem Laymanum lib. 3. traç. 5. cap. 12. num. 11.

Hic duo Corollaria veniunt annotanda. Unum, quòd si quis adultus accedat ad Baptismum cum fictione, nihil credens esse Baptismum, sed joci causa, vel motivo turpis lucri, iste nullum recipit effectum Sacramenti, neque characterem. Mirabile est exemplum, quod legitur apud Bollandam, de quodam infidele, qui sicte Baptismum suscepit, & vix completa administratione Sacramenti, ventus validus irruit, & vestem candidam, quæ fassus Neophytus erat indutus, violenter arripuit, ac ea illum spoliavit, indicans nullum effectum Baptismi recepisse. Ita Bollandus die 13. Januarii. ex Actis S. Hilarii Episcopi Pitiavienfis. At si fictio in eo consistat, quòd habens peccata mortalia, de illis eum non pœnitent; in hoc casu, licet credat, & intendat recipere Sacramentum, obtinet quidem characterem, sed non obtinet gratiam; quam solummodo recedente fictione obtineret poterit post Baptismum, mediante tamen attritione cum Sacramento Penitentia, confitendo fictionem ipsam, & peccata, de quibus delectabatur in suscipiendo Baptismo; vel mediante contritione, cum proposito eadem confitendi; ut bene disputat Eminentiss. Cardin. de Lauræa de Sacram. in genere disp. 11. artic. 4. & 5. de Sacram. Baptismi disp. 14. art. 6. quibus in locis respondet Theologis asserentibus, fictionem tolli, & gratiam obtineri per solam attritionem absque Sacramento Penitentia, æqua lance, ut fieri poterat in Baptismo. Et circa hoc novissimè Maffius in Theol. Moral. d. disp. 17. num. 56. & 57. distinguit obicem negativum ab obice positivo. Primus est, si in Baptismo non habuit attritionem peccatorum ex oblivione, vel ignorantia; & in hoc casu ducet per attritionem solam post Baptismum obtineri gratiam, & delectionem peccatorum. Obex vero positivus est delectatio peccatorum in actu Baptismi, & in hoc casu, ut diximus supra, non sufficit attritio sola, sed requiritur Sacramentum Penitentia, cum actuali confessione peccatorum; vel contritio cum voto confitendi.

Alterum corollarium est; quòd Adultis in Baptismo datur major, vel minor gratia juxta majorem, vel minorem eorum dispositionem, devotionem, & affectum. Parvulis vero, etsi ratione Sacramenti Baptismi detur omnibus, & singulis æqualis gratia; tamen alicui eorum potest dari major, tum ex majori devotione Parentum, vel Sacerdotis baptizantis ex congruo, tum ex speciali benevolentia Dei. Maffius d. disp. 17. num. 52. in Theol. Moral. & Eminent. Card. de Lauræa de Sacram. in genere disp. 1. art. 8. per totum. Et equidem copiosum

D